

absque decreto Judicis res immobiles alienaverit, non restituitur; quippe quum alienatio irrita sit, agere potest vindicatione rei, et quoties dubitet utrum contractus valeat, alterutrum petere potest, ut vel contractus nullus pronuntietur, vel in integrum restituatur. 3. Ut negotium rescindi possit: frustra et enim postulatur restitutio adversus matrimonium, professionem religiosam, Ordines sacros rite susceptos. Restitutio autem non conceditur, nisi praevia cognitione causae, et semel denegata non amplius tribuitur, nisi novae causae prodierint ob quas indulgenda videatur. Igitur in primis videndum est, an qui petit ex iis sit qui hoc beneficio juvantur, et num causa cur petit ex iis sit ob quas restitutio petentibus permissa est. At vero causae restitutionum in integrum coram Judicibus ordinariis, qui administrationem habent, aut Delegatis ab eis tractandae sunt, non autem coram mero exsecutore aut Arbitro, nisi coram eis quaestio restitutionis incidenter mota fuerit, quo casu cognoscunt quidem, sed vetantur pronuntiare. Debet autem Judex esse competens respectu illius contra quem restitutio petitur, et restituere potest adversus sententiam vel a se, vel ab alio inferioris parvae auctoritatis Judice prolatam, non adversus sententiam Superioris. Tempus restitutionis petendae est quadriennium continuum, quod minores computant a die quo minorem aetatem excesserunt, Ecclesia et Respublica a die laesionis factae, sive ut aliqui putant a die laesionis cognitae, et denique majores a die remotae causae aut impedimenti, propter quod in integrum restituuntur, excepta actione metus quae uno anno, et actione doli quae biennio continuo finitur.

CAPUT II.

DE DELICTIS ECCLESIASTICIS.

§ 228.

DE NATURA DELICTI ECCLESIASTICI, EJUSQUE DIVISIONE.

Delictum seu crimen est libera ac voluntaria divini aut humani Juris violatio, quae in detrimentum Ecclesiae vel civilis Societatis redundat. Per haec posteriora verba crimen a peccato distinguitur; peccatum enim est quaevis actio vel ommissio divinis humanisque legibus contraria, etiamsi Societas detrimenti nihil accipiat. Delicta autem seu crimina vel directe Ecclesiae soli, vel soli civili Reipublicae, vel utrique simul officiant. Hinc criminum divisio orta est in ecclesiastica, civilia et mista. Igitur ecclesiastica sunt, quae fidem et religionem directe laedunt, qualia sunt Apostasia, Haeresis, Schisma, Simonia, et hujus generis alia: civilia sunt, quae directe laedunt Reipublicam, uti homicidium, furtum, peculatus et similia: demum communia seu mista sunt, quae Religionem et Reipublicae nocent, veluti crimen usurarum, adulterii, concubinitus, sortilegii et hujusmodi. De criminibus ecclesiasticis solus Judex Ecclesiasticus etiam contra laicos cognoscit et judicat; siquidem judicium est de re spirituali, sive de crimine quod Religionem directe spectat, de quo ab una Ecclesia et leges conditae, et poenae constitutae sunt. Crimina civilia Judex laicus contra laicos cognoscit: crimina autem mista uterque Judex cognoscit servata lege praeventionis. Verum haec spectant externum forum; nam Ecclesia in foro interno et Sacramentali in omnia tam Clericorum, quam laicorum crimina potestatem exercet, eaque retinet aut absolvit salutari-bus impositis poenitentis.

Quoniam ratio Institutionum non patitur, ut singula eccle-

siastica crimina explicemus, ideo satis erit de praecipuis quatuor breviter et summatim pertractare, hoc est de Apostasia, Haeresi, Schismate, et Simonia.

§ 229.

DE APOSTASIA ET PRIMUM DE APOSTASIA A FIDE.

« Apostasia a Latinis proprie desertio appellata est, idemque sonat Apostata ac desertor, uti conjicere licet ex L. DESERTOREM ff. de Re milit. Quandoque etiam Apostata dicitur praevicator et apud Hebraeos BELIAL. Cum igitur Apostasia nihil aliud sit, quam recessus ab eo vitae instituto, quod quis ea mente assumpserat ut ei perpetuo adhaereret, cumque posset aliqui a fide Catholica, quam amplexus fuerat, deficere, alius a Clericali statu semel assumpto recedere, alius demum a regulari instituto cui se devoverat, se subtrahere, consequitur tres numerari Apostasiae species. Prima perfidiae dicitur, altera Ordinis, tertia Monachatus. » Ita Benedictus XIV de Syn. Dioeces. lib. 13 cap. 11 n. 9. Omnium gravissimum crimen est Apostasia perfidiae, per quam baptizatus a fide Catholica omnino deficit, sive ad Judaismum, Paganismum, aliudve infidelitatis genus transeat, sive relicto Christo nullam deinceps Religionem profiteatur. Namque ad crimen Apostasiae non requiritur ad aliam Religionem transitus, sed satis est Christianam deseruisse. Juxta veterem disciplinam maxima differentia est inter Apostatam qui sponte sua, et eum qui vi tormentorum et metu fidem deserit. Hi posteriores, quamvis valde rei sint quod fidem Christi coram hominibus ejuraverint, veri tamen Apostatae non sunt, quod fidem corde retinuerint, unde proprio nomine lapsi dicebantur et canonicis poenis coercebantur, at si ex animo poenituissent, veniam facile consequerentur, ex can. 6 Synodi Ancyrae. Verumtamen spontaneis Apostatis, praesertim si idolis etiam sacrifi-

cassent, communionem in ipso exitu vitae denegandam esse edixit canon 1 Concilii Illiberitani. Sunt tamen viri docti qui nomine *communio*, quam Patres Illiberitani Apostatis denegarunt, non absolutionem et veniam, sed Eucharistiam interpretati sunt, quod in veteribus monumentis illae voces promiscue accipiuntur, quodque a benignitate Ecclesiae nimis alienum videatur, morientibus etiam veniam et absolutionem omnino detrectare. Qua de re confer Natalem Alexand. in Histor. Eccles. sec. 3 dissert. 7 prop. 3. Sed in praesenti disciplina a tanta severitate recessum est, et Apostatae accipiunt veniam, ubi poenitentia ducti ad fidem Catholicam revertantur. Attamen quovis tempore Apostasia reputata est crimen omnium maximum et ipsa haeresi ingentius, quandoquidem haeresis unum, vel alterum fidei dogma inficiatur, Apostasia autem est desertio totius fidei quam aliquis in baptismo professus est. Hinc Apostatae iisdem plectuntur poenis ac haeretici, atque etiam aliis tum a Jure Canonico, tum etiam a Jure Civili constitutis, praesertim in Codice Justiniano et Theodosiano tit. de Apostatis.

§ 230.

DE APOSTASIA ORDINIS.

Altera Apostasiae species sive Apostasia Ordinis est, quando Clericus relicto habitu et tonsura clericali saecularem vitam amplectitur. Soli autem majorum Ordinum Clerici, si clericatum ejuraverint, Apostatae sunt, quia vi Sacrae Ordinationis ad perpetuam stabilitatem devincti sunt: Clerici enim minorum ordinum clericalem militiam impune deserunt. Clerici majores apostatae multis poenis afficiuntur, nimirum poena excommunicationis ferendae sententiae, si matrimonium non contraxerint, latae autem sententiae, si nuptias etiam attentaverint. Deinde afficiuntur poena infamiae; quamobrem ab

accusando et testimonio ferendo repelluntur. Praeterea ob hujusmodi infamiam, et si nuptias contrahant, ob bigamiam similitudinariam irregulares evadunt; ac denique ab Episcopo carceribus mancipandi sunt juxta textum A Nobis de Apostatis: « Tales, si volueris, poteris sub gravi custodia carcerare, ita quod solummodo vita sibi misera reservetur, donec suae praesumptionis nequitia respiscant. »

§ 231.

DE APOSTASIA MONACHATUS.

Tertia denique Apostasiae species est criminosa abjectio vitae monasticae solemniter professae cum animo ad regulare institutum non amplius redeundi. Quamobrem Regulares fugitivi, qui sine licentia Superioris, vel contra obedientiam a claustris discedunt ad tempus, aut vestem monasticam deponunt, eam propediem recepturi, Apostatae non sunt, quatenus ex sententia plurium Doctorum, si absque expressa vel tacita licentia e claustris egrediantur, et dein facti poenitentes post brevissimum tempus intra eundem diem ad claustra revertantur, a lethali culpa et poenis contra Apostatas latis omnino excusantur. Nollem tamen idem dici de Monialibus Papali clausura obstrictis: si enim extra claustra pedem efferant, saltem a poena excommunicationis ob violatam clausuram excusari nequeunt. At vero S. Congregatio Concilii jussu Urbani VIII die 21 Septembris anni 1624 statuit: « ut fugitivi et Apostatae sive habitum regularem deserant, sive non, possint ac debeant ab Episcopo loci ubi moram trahunt in carceres conjici, ac Superioribus Regularibus consignari secundum regulare institutum puniendi, utque ipsi quoque Superiores teneantur eos perquirere, ad Religionem reducere, atque efficere ut apprehendantur. » Porro Regulares inter Apostatas recensentur, etiamsi claustra deserant ea de causa

vel praetextu, ut nullitatem professionis proponant, aut si post unicam de nullitate professionis sententiam monasticam vestem abjiciant; de quibus confer Bened. XIV l. 13 de Syn. Dicec. c. 11 n. 14. In Regulares Apostatas multae poenae sancitae sunt, inter quas potior est excommunicatio latae sententiae, quam ipso facto incurrunt si habitum quoque dimiserint, cap. UT PERICULOSA Ne Cler. vel Monach. in 6. Sunt etiam a Canone alieni, ita ut si durante Apostasia Ordinem susceperint, ejus functione interdicanter, cap. CONSULTATIONI de Apostat. et Reiterant., et si durante suspensione aut celebrent, aut aliud Ordinum munus exercent, irregulares omnino fiunt, cap. CUM AETERNI de Sentent. et Rejudic. in 6, et cap. CUM MEDICINALIS de Sentent. excomm. in 6. Demum ex Concilio Trid. sess. 25 cap. 19 de Regular.: « nullo privilegio suae Religionis juvantur. » Praeter has poenas quae a jure communi sancitae sunt, aliis etiam mulctantur, quas peculiare leges Ordinum Religiosorum adversus suos Apostatas constituerunt.

§ 232.

DE HAERESI.

Haeresis a Doctoribus communiter definitur error pertinax fidei manifeste repugnans in eo qui fidem Catholicam suscepit. Igitur ad formalem haereticum constituendum conjunctim necessaria sunt, videlicet error ex parte intellectus, pertinacia ex parte voluntatis, et susceptio fidei ex parte subjecti. In primis itaque requiritur error intellectus qui fidei Catholicae opponatur. Error enim in definitione haeresis stat loco generis; quamobrem si quis metu mortis vel alia de causa fidem quam mente retinet coram hominibus negaret, quamvis graviter delinqueret, et in foro Ecclesiae quae de solis exterioribus judicat, tanquam haereticus haberetur et puniretur, ni-

hilo tamen secius nec formalis haereticus esset, nec poenis adversus haereticos sancitis obstringeretur. Sed error, ut diximus, ejus generis sit oportet, ut doctrinae et catholicae fidei adversetur. Quae sit igitur doctrina vel fides Catholica videndum in primis est, ut inde perspectum fiat, qualis error pro vera haeresi habendus sit. Jam vero Doctorum sententia est: « illud omne et solum esse de fide Catholica, quod in verbo Dei scripto vel tradito revelatum, et omnibus ab Ecclesia propositum est de fide divina credendum. » Duo itaque faciunt doctrinam Catholicam, scilicet Divina Revelatio, et Ecclesiae propositio; si alterum desit, hujusmodi doctrina nondum est de fide Catholica, seu ejus generis cui fideles omnes sub poena haeresis assentiri teneantur. Quoniam vero Ecclesia in Concilio Trid. congregata sess. 4 in decreto de divinis Scripturis definiverit, verbum Dei revelatum tum in Sacris Scripturis, tum sine scripto Traditionibus quae ab ipsius Christi ore ab Apostolis Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt, contineri, et idcirco tum Sacram Scripturam, tum Traditionem ipsam tanquam ipsius Dei et fidei regulam proposuerit, fit inde ut quae in Sacra Scriptura vel Traditione manifesta et perspicua sunt, Catholica fide credenda sint. Quae autem in Scriptura vel Traditione non satis manifesta et perspicua apparent, et idcirco a SS. Patribus vel Doctoribus in diversas sententias explicantur, nulla earumdem sententiarum ad doctrinam Catholicam pertinebit, quia deest propositio Ecclesiae cujus est verum Scripturae sensum interpretari. Quamvis enim universa Scriptura et Traditio divina ab Ecclesia proposita sit, in obscuris tamen verus sensus verbi Dei seu scripti, seu traditi nondum constat, donec ab Ecclesia ipsa exponatur et proponatur. Illud itaque, quod supra diximus, nullum esse fidei articulum sine Ecclesiae propositione, ita accipiendum est, quatenus Scriptura vel Traditio egeant interprete, quum a SS. Patribus et Doctoribus in diversas sententias exponantur. Ubi enim Patres et

omnes et aperte aliquam fidei aut morum veritatem doceant, concors et constans ipsorum doctrina, tanquam ipsius Ecclesiae doctrina, tenenda est, ut merito haereticus habeatur qui contra senserit. Id apertissime tradit Melchior Canus de Locis Theologicis lib. 12 cap. 6. praecept. 6: « Quodcumque dogma fidei vel Ecclesia habuerit, vel Concilium auctoritate Pontificis roboratum, vel etiam Summus ipse Pontifex fidelibus praescripserit, vel certe Sancti omnes concordissime constantissimique tenuerint, ita nobis illud pro Catholica veritate habendum est, ut contrariam sententiam haereticam sentiamus, quamvis nec aperte, nec obscure in Scriptura Sacra contineatur. » Et praeceptione seq.: « Si vel Ecclesia, vel Concilium, vel Sedes Apostolica, vel etiam Sancti una mente eademque voce aliquam Theologiae conclusionem et confecerint, et fidelibus etiam praescripserint; haec veritas Catholica ita censebitur, ut si esset per se a Christo revelata, et ille qui adversetur aequae erit haereticus ac si sacris litteris traditionibusque Apostolicis refragaretur. » Secundo requiritur pertinacia, ut nempe aliquis obfirmato animo doctrinam illam abjiciat, quam Ecclesia Catholica tenet credendamque proponit. Igitur si quis bona fide, ex simplicitate aut ignorantia etiam culpabili (non tamen affectata quae ab haeresi non excusat) contra fidem erraverit, paratus veritatem amplecti cum innotuerit, non pertinax, nec idcirco haereticus dicendus erit. Quo spectat illud Augustini: « errare possum, sed haereticus non ero; » et in can. DIXIT APOSTOLUS caus. 24 quaest. 3 ex eodem Augustino haec habentur: « Qui sententiam suam quamvis falsam atque perversam nulla pertinacitate animositate defendunt, quaerunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati cum invenerint, nequaquam sunt inter haereticos deputandi. » At vero non ii tantum haeretici sunt qui pertinaci animo doctrinis fidei contraria sentiunt, verum etiam qui in fide dubitant, unde omnium ore ac sermone jactatum adagium est: « dubius in fide infidelis est, »

si dubium illud cum animi pertinacia conjunctum sit quum nempe deliberato animo in dubium revocat, quod optime novit ab Ecclesia propositum esse Catholica fide credendum. Is profecto qui non solum de universa doctrina Catholica, sed etiam de uno fidei articulo sciens prudens dubitat, hoc ipso in fidem peccat judicans rem fidei dubiam et ancipitem, nec proinde auctoritatem Ecclesiae in proponendis rebus fidei infallibilem esse, quod aperta haeresis est. Tertio denique ad formalem haeresim constituendam requiritur ex parte subjecti, ut fidem Christi jam susceperit: unde S. Augustinus lib. 18 de Civitat. Dei cap. 51 haereticos vocat « qui sub vocabulo christiano doctrinae resistunt christianae. »

Multae in haereticos poenae tum ab Ecclesia, tum a civili potestate sancitae sunt. Haeresis enim gravissimum et nocentissimum crimen est, ejusque punitio necessaria ad conservationem fidei orthodoxae, ad exemplum bonorum, ut metu perterriti a tanto crimine arceantur, atque etiam ad eorundem haereticorum correptionem et emendationem, quod poenis afflicti ac veluti excitati facilius errorem suum animadvertant. Ipse Augustinus, qui vim inferre Donatistis haud aequum initio putavit, inde experientia victus intellexit poenas contra haereticos utiles omnino esse. Poenae ab Ecclesia constitutae numerantur: 1. Excommunicatio latae sententiae S. Pontifici reservata, quam etiam incurrunt fautores et receptores, tum ipsorum libros legentes, retinentes, ac imprimentes. 2. Depositio, si Clerici fuerint, ab omni officio et beneficio, ac degradatio. 3. Inhabilitas ad quodlibet officium et beneficium Ecclesiasticum. 4. Irregularitas seu inhabilitas ad Sacros Ordines suscipiendos vel exercendos. His tribus poenis, nimirum privatione omnium officiorum et beneficiorum, itemque inhabilitate ad quaevis officia et beneficia, et irregularitate mulctantur etiam fautores, receptores et defensores haereticorum, atque ipsorum liberi ad primum et secundum gradum per lineam paternam, per maternam vero

ad primum gradum duntaxat. « Et quidem, » inquit Benedictus XIV de Syn. Dioeces. lib. 13 cap. 24: « pater etiam post ejuratam haeresim irregularitate tenetur, ideoque dispensatione indiget ad Ordines suscipiendos. At, relicta a patre haeresi, eoque ad Ecclesiae sinum reverso, filii juxta aequiorem et magis receptam interpretationem irregularitate solvuntur. » 5. Infamia non tantum facti, sed etiam juris facto ipso incurrenda, cap. 13. hoc tit. Haec autem infamia ad filios haereticorum non porrigitur, cum id nullo jure sancitum sit. 6. Denique privatio ecclesiasticae sepulturae: « ut si quis in peccato haeresis decesserit, oblatio pro eo non fiat, nec inter Christianos sepulturam accipiat non obstante privilegio quibuscumque indulto, cap. Sicut hoc tit. ; et in cap. 2 eod. in 6 sancitum est: « ut quicumque haereticos, vel credentes, vel receptatores, vel defensores, vel fautores eorum scienter praesumpserint ecclesiasticae sepulturae tradere, sententiam excommunicationis incurrant usque ad idoneam satisfactionem. » Saeculares poenae a Principibus constitutae potissimum sunt: 1. Perpetua infamia ob quam a cunctis honoribus et muneribus ac Civium privilegiis arcentur, atque a ferendo testimonio repelluntur. 2. Incapacitas testamentum condendi ex aliorum testamentis haereditatem vel aliud accipiendi, item donandi, donationesque capiendi. His accedunt mulctae pecuniariae, confiscatio bonorum, fustigatio, carcer, exilium, et ultimum supplicium.

Quilibet ex lege naturali, divina et ecclesiastica tenetur, si quem haereticum noverit, ad Ecclesiam denunciare. Apposite Hieronymus in illud ad Galat. 5: « Modicum fermentum totam massam corrumpit. » « Igitur, » inquit, « scintilla statim ac apparuerit, extinguenda est, et fermentum a massa vicina semovendum, secundae putridae carnes, et scabiosum animal a caulis ovium repellendum, ne tota domus, massa, corpus, et pecora ardeat, corrumpatur, putrescat, intereat. Arius una scintilla fuit, sed quia non statim oppressa est, totum

Orbem ejus flamma depopulata est. » Imo et haereticus occultus, si extra Sacramentum poenitentiae innotuerit, denunciandus omnino est; quod plurimis Scripturarum et Patrum testimoniis, aptisque rationibus illustrat Suarez Tract. de Fide sect. 4 disp. 20 : « Talis denuntiatio, » sunt ejus verba, etiam de peccato sic occulto est necessaria ad bonum commune Reipublicae Christianae, et de se utilis est ad spiritualem salutem ejus qui denuntiat. Quoad primam partem de bono communi probatur primo, quia licet in eo casu Judex non possit statim procedere ad inquirendum de tali persona in particulari, potest nihilominus generalem inquisitionem et interrogationem majori cum diligentia et advertentia facere, unde fieri potest, ut aliquam majorem notitiam consequatur. Secundo poterit etiam majorem cautionem et vigilantiam circa talem personam adhibere observando cum prudentia per se, vel per aliquem alium vitam, actiones et verba talis personae, ut aliqua alia indicia, si fieri potest, talis peccati inveniat, quod quidem morale erit, quia haeresis mente concepta vix contineri potest quin exterius prodeat. Tertio saepe contingit, ut qui suam haeresim uni soli latenter ostendit, idem cum pluribus singillatim et occulte faciat, ideoque maxime expedit ut singuli denuntient. Quarto est etiam optima ratio et magna Ecclesiae utilitas, ut haereticus non sit a denuntiatione securus, etiamsi occultissime cum uno suam haeresim communicet, ne hoc modo audeant haeretici fideles inducere in suam haeresim cum singulis tantum singillatim et occultissime agendo. Ex parte vero ipsiusmet denuntiati utilis est denuntiatio, primo ex ratione proxime facta, nam hoc modo timebit magis vel in haeresim labi, vel saltem cum aliquo illam communicare, vel aliquem inducere, et ita saltem minus peccabit. Secundo quia etiam de peccato commisso fortasse hoc modo aliquam inveniet medicinam et efficacem correctionem; nam certe qui semel contempsit auctoritatem Ecclesiae, et contra illam ausus est pertinaciter errare, raro

resipiscit et ab haeresi desistit, nisi per eandem Ecclesiam corripiatur et aliquo modo compellatur. »

Praeter haereticos denunciandi sunt nefarii homines qui Sacramentis ad pravae fines utuntur, itemque caeremonias et ritus Ecclesiae irridentes, et denique id loquentes aut agentes, propter quod vel manifeste haeretici, vel suspecti de haeresi comperiantur.

§ 233.

DE CONTROVERSIA SUPER JURISDICTIONE HAERETICORUM.

Duplex quaestio, utraque momentosa, hoc loco agenda est : 1. An formaliter Haeretici jure divino, an ecclesiastico jurisdictionem amittant. 2. An liceat cum eisdem Haereticis communicare.

Quod ad primam quaestionem spectat, certum est occultum haereticum non amittere jurisdictionem nec dignitatem, « donec ipse, » ut ait Bellarminus de Eccles. militant. lib. 3. cap. 10, « se ab Ecclesia publice separet, aut convictus haereseos invitatus separetur. Adde quod si occulti haeretici nullam habere possent jurisdictionem, redderentur incerti omnes actus qui ex jurisdictione dependent, quod non parum universam Ecclesiam perturbaret. » Praeterea certum est ante celeberrimam Extravagantem AD EVITANDA in Concilio Constantiensi editam ex antiquo jure ecclesiastico manifestos haereticos et schismaticos omni ecclesiastica jurisdictione ipso facto caruisse. Quamobrem S. Thomas 2 2 quaest. 39 art. 3 ait : « In Schismaticis et Haereticis non manet potestas jurisdictionis : unde non possunt nec absolvere, nec excommunicare, nec indulgentias facere, aut aliquid hujusmodi. Quod si fecerint, nihil est actum. » At vero, post Extravagantem praedictam, dubitatum est, utrum haereticus manifestus antequam per sententiam expresse et nominatim denuntietur, si non jure ecclesiastico, at saltem jure divino, et ratione haeresis